gavit. Porro in suo regiminis principio fortiter agens, cum comitates villarum et oppidorum ecclesie propter colligationes, quas inter se fecerant, cum iniecissent contra iura et superioritatem Archiepiscopi fortiter superbire, idem dominus Engelbertus erexit novum castrum infra oppidum Lynst et fortiter eum munivit, per quod scilicet ipse frangeret superbiam dictarum comitatum, ne per transitum Reni possent ad invicem se iuvandum libere convenire. Ubi quidem dum ipse consisteret cum exercitu ad munitionem dicti castri, comitates videntes se non posse resistere potentie archiepiscopi, compulsi sunt renunciare conspirationibus et colligationibus, quas invicem fecerant, et illas super illis confectas epistolas domino Engelberto in manus dare, et in ipsius presentia in scandalum eorumdem et confusionem lacerare. Tandem idem dictus Engelbertus debitis et expensis gravatus, cum ~~ceteris~~ esset vir plane sincerus et de suo ingenio circa agibilia non multum acutus, plus quidem bellicis quam consiliis aptus, deprimente iam senio vires ipsius, cum eiusdem ~~ceteris~~ esset ex morbo membrorum arthetice, quo diu et diu laboraverat, contractus corpore; ipse sentiens se deficere in regimine ecclesie, accepto consilio saniori assumpsit ibi coadiutorem venerabilem patrem dominum Bononem, archiepiscopum Treverensem, anno videlicet sui pontificatus tertio, virum quidem strenuum atque industrium et in rebus necessariis consultum; et hoc quidem de consilio capituli coloniensis et assensu. Ad quod etiam confirmandum auctoritas sedis apostolice intervenit. Et sic idem dominus Engelbertus coloniensis archiepiscopus predicto domino archiepiscopo Treverensi administracione coloniensis ecclesie commissa, ipse deinceps privatam duxit vitam, retentis ibi dum taxat duobus castris ecclesie et de mensa archiepiscopali pro suo statu redditibus congrua portione.

Denique quinto anno sui regiminis post longas morborum fatigationes ipse decumbens in castro Bruele, rebus ~~quamvis~~ humanis est feliciter exemptus, die 26 mensis augusti, sub anno incarnationis dominice 1368, cuius corpus translatum Coloniam, sepultus est in ecclesia sancti Petri ante armarium ecclesie in sinistro latere chori ipsius ecclesie, in tumba nova, quam ipse sibi preparari fecerat adhuc vivens.

Tempora vacantie ecclesie Coloniensis.

80. Igitur prefatus dominus Bono Treverensis archiepiscopus per supradictum dominum Engelbertum in coadiutorem ad regimen Coloniensis ecclesie assumptus, statim ~~ut~~ ad Coloniensem

+ a) obligationibus 2. 3.